



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De violentia amoris Dei, 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

dos reddit. Amor tuus Domine Iesu Christe, qui es fons amoris, imo amor ipse, dissimulat & expectat & sustinet delinquentem, eumque benigne trahit, adducit, & converti facit ab errore viæ ejus. Amor tuus Domine Iesu Christe, fons vitæ est; nec vivere anima potest, quæ non hauserit ex illo: neque haurire potest, nisi præsens fuerit ipsi fonti, scilicet tibi, qui es fons totius amoris.

3. O fons veri amoris, & immensæ dulcedinis; qui nunquam deficis, sed semper reficis. Ego miserabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorum, magnam sitim amoris patior: quia à te fonte vivo nimium sum elongatus. Respicere ergo me digneris misericorditer, & deducere me ad te fontem amoris & dilectionis, ut hauriam aquam tanti amoris tui; illam bibam, illa recreer, illius suavitatem & saporem degustem. Ex illa lavetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati; ut mundata ab omni inquinamento, tibi placeat & tibi seruiat, ac tecum vivat per amorem in infinita sæculorum sæcula, Amen.

C A P V T V.

De violentia amoris Dei.

1. **O** Violentia divini amoris, qua summus omnium, infimus factus est. Hoc namque fecit verus amor, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Nihil enim, Domine Iesu Christe, fons, imò abyssus amoris, violentius triumphat de te, quam amor. Propter quem
temet-

temetipsum exinanisti, ut sciremus, plenitudinem effusam esse, altitudinem adaequatam, & singularitatem associatam. Atque violentia tui amoris, nos fædos & deformes amavit: non sic tamen ut nos tales dimitteres; sed ut ex fædis pulchros, & ex deformibus formosos faceres. Amasti enim nos, Domine Iesu Christe, abyssalis amor ex abyfso amoris; & fecisti te propter nos hominem: subiecisti te, & suscepisti nos; inclinasti te, ut nos erigeres; exinanisti te majestate, ut impleres nos divinitate: descendisti usque ad nos, ut ascenderemus ad te. Non enim est pater, non mater, non amicus, non alius quisquam, qui nos tantum dilexerit quantum tu, Domine, qui fecisti nos. Absorbeat igitur, quæso amantissime Domine, mentem meam ab omnibus, quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis tui amoris; ut totus tibi inhaream, solaque suavitatis tuæ dulcedine pascar, delecter, & inebrier.

2. O Domine Iesu Christe, quam fœlix bonum est, & quam desiderabile, violentiam tui amoris sentire; quæ pectora nostra radiis tanti amoris quotidie illustrat, pestes mentis sanat, secreta cordis illuminat, mentem fovendo saginat, & animam exhilarando corroborat. O quam dulcis est misericordia & suavitas amoris tui, Domine Iesu Christe, largitor amoris; qua perfruuntur illi, qui præter te nihil diligunt, nihil quærunt, nihil etiam cogitare concupiscunt! Ad amorem tuum præveniendò nos invitas, proripis, & pertrahis; tanta est violentia tui amoris.

Nulla

Nulla enim est major invitatio, proreptio, & pertractio ad amorem, quam pravenire amando; quia animus, qui prius torpebat, cum se pramari sentit, excitatur. Quod si jam fervebat, quum se amari & pramari didicit, magis accenditur.

3. O amantissime Domine Iesu Christe, licet me indicibiliter amaveris, ego tamen impiissimus peccator, cor lapideum & ferreum gerens, amorem tuum ignitum in pectore meo frigido non recognovi. Et licet tuam dilectionem, quam ultro impendebas, desiderarem mihi impendi: nolui tamen vice versa dilectionem tibi rependere. Auxiliari igitur mihi dignare, piissime Domine Iesu Christe, qui non potest non amare; & per violentiam tui dulcissimi amoris, compelle rebellem animum meum ad te amandum; ut tibi placide serviam, & vitam obtineam in amore sempiternam.

CAPVT VI.

Quomodo cognoscit anima se diligere à Deo.

1. **S**CIO (benignissime Domine Iesu Christe, amor & amantium vita) quod qui vehementer diligit te, etiam à te infinites vehementius diligi non ambigit. Quique sua singulari intentione, sollicitudine, cura, opera, diligentia, ac studio, incessanter & ardentem invigilat quo pacto placeat tibi, multo magis omnia hæc in te indubitanter agnoscit. Amor enim tuus amorem animæ parit, & tua præcurrens intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam. Qualem